

praeoptatam. A. M DC XCVII. in *Gregoriano iterum festo benignitatis memoriam Gymnasiique adeo fortunam extare volebat orationibus de beneficiis palam & secreto dandis praemissum schediasma.* A. M DC XCVIII. *Gallina, Hennebergiae Insigne*, cum in *Imaginum Oratoriam* visendam hinc sumtac essent orationes publicae, commemorandi, gratulandi & vouendi *fortunas amplissimas* apprime nobilem, suppeditauit occasionem. A. M DC XCIX. eadem in *solennitate Gregoriana* cum de *Literariis paradoxis* dici iussimus, tum in *Sleusingenium Literarum Excelssimos Statores*, horumque simul *fortunam* apprestando est transcursum. Proxime superiori anno, quinquennii *Redatoratus mei* quasi auspice, ex *Typographorum Iubilaeo* orationibus publicis perinde ac schediasmate fortunam studuimus prorogare **NVTRITORIBVS**, totique post *Gymnasio*, ita apud **DEVM** intercedentes. Atque num rectiori ausu feriae *Gregorianae*, quae imminent, seque publicis denuo orationibus gestiunt celebrari, agi poterunt, quam si seruatur semel bene electus in pietate ordo, votaque iterum iterumque nuncupantur? Vt resideat beneficiorum & *fortunae* memoria in animis nostris mentibusque, & haec ad alios perferatur fama, quidni meminerimus illa potiora, unde diuinae gratiae eluceant, vbertas, SERENISS. Pp. Clementia inusitatiō, Synedriorum cura ad summas efferenda laudes, &, quam concernunt tandem in uniuersum omnia, ILL. GYMNASII SAXO-HENNEB. SCHLEVSINGENSIS FORTVNA QVINQVENNALIS?

Veteres Romani, qua erant in faciendis votis religione, exacto itidem quinquennio *marinis et regnorum*, & *quinquennalia* pro Imperatoribus suis *vota* instituerunt; decretis supplicationibus solennibus, sacrificiis & ludis; paratis, aeternanda pietatis causa, nummis, in quibus & haec saepe verba comparebant: **FELICITER. FELICIA. FELICISSIMA:** & orationibus tandem, quas disertissimi quique sibi habebant demandatas. Quam in rem quae *Carolus du Fresne in differt. de infer. aeu. numism.* habet, videri possunt, nec non *Nazarii Panegyricus*, in *quinquennalibus*, plerorumque iudicio, dictus, & antiquis Panegyricis hactenus solitus iungi. Etenim qui lustra condituri formula, apud *Brissonium de form. Pop. R. L. I. p. 79.* reperienda, vtebantur: **DEOS IMMORTALES PRECAMVR, VT RES POP. R. PERPETVO INCOLVMES SERVENT.** Qui & in periculis magnis *versacrum* loui vouere solebant, & pro *quinquennio* Reip. feliciter auspicando in hanc definere obligationem: **SI RESP. POP. ROM. AD QVINQVENNIVM PROXIMVM SALVA SERVATA ERIT. QVOD VER ATTULERIT EX SVILLO, OVILLO, CAPRINO GREGE, IOVI FIET.** Illi, inquam, non poterant non in Imperatorum domos eodem ferri affectu, & exacto uno *quinquennio* nouum, hoc iterum absoluto aliud, & sic deinceps, appercari. Imo vero nihil causae subesse video, quare antiquum nunc morem in vitam reuocatum nolim, &, quanquam a *Theodosii aeuo* *vota*